

la, quibus superInscripti Planetæ sub orbe Stellato suas periodos complent : sequentes numeri indicant ; quantum dierum quàm proximè debeat inferiori Planetæ , eadem proportione ad orbem , quavtitur ille , qui est in capite columellæ. Vides igitur , veram periodum semper minorem esse , quàm est illa , quæ illi attribuitur ad similitudinem superioris.

Interim tamen motuum binorum ad inuicem , non quidem eadem , similis tamen semper est proportio , quæ inter distantias.

	di.	sc.								
Nam si pro diebus	{ 10759	12	♄	} accipiatur sinus totus 1000. Erit in ea quantitate motus periodi- cus	{ 403	} At si superioris media distantia sit 1000. est in- ferioris in Co- pernico	{ 572	} terra 658		
	{ 4332	37	♃						{ 159	{ 290
	{ 686	59	♂						{ 532	{ 719
	{ 365	15	terra						{ 615	{ 500
	{ 224	42	♀		{ 392					

Hic vide mihi in motibus medijs , sat certò cognitis , idque longè prius atque de certa distantiarum ratione Copernicus cogitaret , vide , inquam , eandem diuersitatem , quæ inter ipsas est distantias , ex προσαφαιρέσει per Copernicum , & ex quinque corporibus per me extractas : vtrinque secus ♂ minima , inde secus ♃ , ♄ , Terram , & maxima secus ♀ : vtrinque secus ♃ & ♄ æqualis penès ; item & secus terram , & ♀ . Igitur vel iam statim satis explorata est Copernico de mundo veteri victoria.

Quòd si tamen præcisius etiam ad veritatem accedere , & proportionum æqualitatem vllam sperare velimus : duorum alterum statuendum est : aut Motrices animas , quò sunt à Sole remotiores , hoc esse imbecilliores : aut , vnam esse motricem animam in orbium omnium centro , scilicet in Sole : quæ , vt quodlibet corpus est vicinius , ita vehementiùs incitet : in remotioribus propter elongationem & attenuationem virtutis quodammodò languescat. Sicut igitur fons Lucis in Sole est , & principium circuli in loco Solis , scilicet in centro : ita nunc vita , motus & anima mundi in eundem Solem recidit : vt ita fixarum sit quies , Planetarum actus secundi motuum ; Solis actus ipse primus : qui incomparabiliter nobilior est actibus secundis in rebus omnibus : non secus atque Sol ipse

K & spe